





16

1783, 16.  
1918

PROCANCELLARIUS  
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS

I. V. D. INST. PROFESSOR ORDINARIUS ET COLLEG.  
ICTOR. ASSESSOR

SOLLEMNIA IN AVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

CAROLI FRIDERICI MEYERI

HOLACHEO — GLEICHENSIS

A. D. XXVI. IVNII MDCCCLXXXIII

PVBICE CELEBRANDA

INDICIT

LROGANGETA RIAS

162 TAVV PRIN PYTHAGORAS

4. D. INTEGROGRAMMAIUS ET GOCCE  
LOGO VERBOSO

SOTTERZIA NAVAGARIA

GRADOMINIS ET GOCCE  
TATIGATAMISIMI CANDIDATI

CAROLI STIBERI MURERI

162 TAVV PYTHAGORAS

GRADOMINIS ET GOCCE  
TATIGATAMISIMI CANDIDATI



AD

## ORATIONEM D. MARCI

*De pupilla a tute eiusue filio haud ducenta.*

Cum plerisque hominibus matrimonium male conciliatum plurimum incommodi adferat atque miseriae, multorumque ciuium calamitas, vt cicero<sup>a)</sup> ait, a rep. feiuncta esse haud possit, nemo, opinor, negauerit, legumlatoribus curae cordique esse debere, vt, quantum fieri possit, felicitatis matrimoniorum impedimenta tollantur aut saltem minuantur, et quam paucissimi sint, qui cum Demet Terentiano dicere queant:

*Duxi uxorem, quam ibi miseriā vidi!*

Quod haud ignorantes Romani, aequē ac alii populi, sapienter varias prohibuerunt nuptias, quas vel reip. vel ipsis coniugibus luctuosas aut noxias fore existimabant.

A 2

perti-

a) In *Or. pro L. Manilia cap. 7.*

## IV

Pertinet eo, ni fallor, etiam hoc, quod D. MARCVS constituit, ne tutor pupillam suam vxorem ducat. Rem refert PAVLVS in l. 6o. §. 5. D. de R. N. Quamvis verbis orationis cautum sit, ne vxorem tutor pupillam suam ducat, rel. quae lex, vt inscriptio docet, ex PAVLI Libro Singulari ad Orationem D. Marci et Commodi defuncta est. Nec morari quemquam debet, quod idem ius aliis locis nunc sibi MARCO, nunc Scto acceptum fertur; cum fatis constet, alias etiam constitutiones, quae inscriptionem D. Mari et Commodi habent, ad solum MARCVM pertinere, Principumque orationes in Senatu habitas plerumque Senatus consulta eiusdem sententiae secuta esse; quod quia iam ab aliis b) ostensum est, hic repetere nihil attinet.

Eodem ex PAVLI libro sumta etiam est l. 20. D. de R. N. vbi ita ICtus: Scindum est, ad officium curatoris non pertinere, nubat pupilla, an non, quia officium eius in administratione negotiorum constat. Et ita Seurus et Antoninus restripperunt in haec verba: Ad officium curatoris administratio pupillae pertinet: nubere autem pupilla suo arbitrio potest. Etsi enim inscriptio huius legis ita habet: Paulus lib. sing. ad Orat. D. Seueri et Commodi, nemo tamen non facile intelligit, vitium hic inesse manifestarium, propterea quod SEVERVS et COMMODVS nunquam collegae imperii fuisse, ipsaque adeo temporis ratio inscriptionem illam satis refellit. Quae difficultas cum hand lateret interpres, multum ea in re tumultuati sunt, et quasi signo aliquo dato certatim ad eam tollendam concurrerunt. Nonnulli cum ABR. WIELINGIO in Iurispr.

b) Conf. B. BRISSONIVS de iure connubior. in Oper. minor. ab A. D. TREKELL. L. B. 1749. edit. p. 366. IAC. RAEVARDVS Varior. Lib. II. c. 10. G. D' ARNAUD Var. Coniect. Lib. II. c. 17. I. O. WESTENBERG in D. Marco f. Diff. ad Conf. M. Aurel. Antonini Imp. p. 335. IO. VAN DE WATER Obs. iur. rom. Lib. III. c. 5. et 10. GVIL. MARCKART. Interpr. recept. iur. ciu. lect. Lib. II. c. 9.

vispr. refit. ind. alph. p. 88. Autonini et Commodi reponendum censem, i. A. BACHIVS contra in hisl. jurispr. rom. p. 493. iis subserbit, qui legunt Ad Orat. D. Marci et Commodi. Ego vero multo minore motu Seueri loco Veri legendum puto, quippe qui scio, M. ANT. PHILOSOPHVM Imp. Verum etiam dictum esse.

IVL. CAPITOLINVS in Marc. cap. 1. M. Antoninus principio cui sui nomen habuit, et Catilii Seueri materni proau. Post excessum vero patris ab Adriano Annus Verissimus vocatus est, post virilem autem togam Annus Verus, patre mortuo ab aeo paterno adoptatus est et educatus, et cap. 7. Antonini mox ipse nomen recipit, et quasi pater L. Commodi esset, et Verum eum appellauit, addito Antonini nomine; nec non in Vero cap. 4. Verum vocari praecepit. (Marcus), suum in eum transferens nomen, cum ante Commodus vocaretur; unde patet, MARCVM cognomen Veri omnino retinuisse. Vid. p. WESSELING Obs. L. I. c. 23.

Prfcis quidem temporibus maior ea in re libertas fuisse videatur. Certe CICERO male eo nomine audit, quod repudiata priorre vxore, TERENTIA, PUBLILIAM, cuius patrimonium administrabat, vxorem duxerit. Rem narrat PLUTARCHVS in Cic. c.) Vxorem, inquiens, repudiauit Terentiam, quod neglectus in bello fuisset ab ea, ut dimitteretur sine necessario viatico, et cum recepisset se in Italiam, parum benevolia usus. Nam nec Brundusii eum, cum diu illic haeret, inuisit, neque proficisci eo filiae adolescentulae comitatum aut viaticum praebevit tam longo itineri honestum. Imo vero domum Ciceroni desolatam et plane inanem reddidit, multoque oppressum et graui aere alieno. Hae causa praetexuntur speciosissimae divitii. Terentiae vero, quae vel has iuit inficias, defensionem ille ipse egregiam praebevit, quod mox virginem duxerit, ut exprobrait

A 3

ei

c) Conf. PLUTARCHI Parallelia seu vites parallelas, Vol. IV. pag. 485.  
edit. Londinenſ. d. a. 1723.

et Terentia, forma illius captus, ut Tyro memorias prodidit, Cicero  
nisi libertus, quo illius facultatibus dissolueret creditum. Nam fuit  
puella locuples admodum, cuius patrimonium administravit Cicero, he-  
res fiduciarius institutus. Quod vero esset supra modum obaeatus,  
amici et necessarii induxerunt eum, ut praeter aetatem duceret hanc  
puellam, dimitteretque eius pecunia creditoris, nec non DION. CASS.  
hist. rom. Lib. 46. p. 303. idque verbis Q. FVPII CALENI: Quis  
nescit, quemadmodum priore tua coniuge, quae duos tibi natos pepe-  
rerat<sup>d</sup>), electa aliam virginem duxeris, ipse aetate decrepita, ut ex  
eius facultatibus aer alienum dissoluere posset? Sed ne eam quidem re-  
tinuisti, nimur ut libere Cerelliam habere posset, quam tanto te ac-  
tate superiorum, quanto inferior ea puella fuit, quam duxeras, stu-  
ppriuisti, ad quam ipsam eiusmodi litteras scribis, quales scribi par est  
a scurra linguaeque incontinentis viro, cum muliere septuagenaria de-  
certante, itemque QVINTILIANVS Inst. Or. VI. 3. Cicero obtur-  
gantibus, quod sexagenarius Publiliam virginem duxisset, Cras mul-  
lier erit, inquit<sup>e</sup>). Sed non diurnam hanc CICERONIS felicita-  
tem fuisse, PLVTARCHVS l. c. memorat: Non diu sub has nuptias  
filio eius apud Lentulum decepit ex partu; huic enim, priore defun-  
cto viro Pisone nuptum data fuerat. Ad Ciceronem consolandum un-  
dique concurrerunt philosophi: nam hunc casum tulit acerbissime, ut  
etiam

d) Ceterum ethi TERENTIA CICERONI dotem quadringentorum octo-  
ginta milium nummum attulit, tamen nequaquam frugi vxor fuit,  
PLVTARCHVS in vit. Cic. p. 460. Terentia, quae nec alias levij esset  
nec paudo ingenio, verum amboioso, magisque, ut ipse reser Cicero,  
in consilia, quae de republica haberet, se inferret, quam ei participare  
domestica, aperuit ei bac, et in concurvatos incendit, et p. 470. Acerba  
autem mulier et viri potens stimulauit Ciceronem ad conspirandum contra  
Clodium, et ad eum testimonio suo premendum. Conf. etiam, SEB. COR-  
RADI Questura p. 61. et 96.

e) PUBLILIAE ipse meminit cic. ad Att. XII. 32.

etiam nouam nuptiam, quod morte Tulliae videretur exultasse, repudiarit. Sed quorundam haec? Eo scilicet, ut vel CICERONIS exemplo constet, senes ineptiarum haud omnino expertes, nec inanem esse querelam SENECAE apud LACTANTIVM Inſt. III. 15. Plerique philosophorum tales sunt, disertii in conuicium suum, quos si audias in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, indicium professos putes; adeo redundant ad ipsos maledicta in publicum missa; quos non aliter intueri decet, quam medicos, quorum tituli remedia, pyxides venena habent<sup>f</sup>). Iam in viam, unde paululum defleximus, reuertamur.

Si quis rationem, quae d. MARCVM, ut nuptias tutorem inter et pupillam prohiberet<sup>g</sup>), mouit, nosse cupiat, en praefato est TRYPHONINVS in l. 67. §. 3. D. de R. N. Sed videamus, inquiens, si Titii filius duxerit uxorem eam, quae tua pupilla fuit, deinde Titium vel filium eius adoptaueris, an perimentur nuptiae, — an adoptio impeditur? Quod magis dicendum est, et si curator, dum gerit curam, adoptauerit maritum eius puellae, cuius curator est: nam finita iam tutela et nuptia-puella alii, vereor, ne longum sit, adoptionem mariti eius impedire, quasi propter hoc interponatur, ut ratio tutelae reddenda cohabeatur; quoniam causam prohibitionis nuptiarum contrahendarum Oratio Divi Marci continet: unde patet, principem huius prohibitionis rationem esse publicam utilitatem, ne scilicet a tute fraus fiat pupillae circa rationes reddendas, quas palam proferri reip. expedit.

## Quem-

f) In eandem sententiam GELLIVS XVII. 19. Fauorinum ego audiui dicere, Epictetum philosphum dixisse, plerosque istos, qui philosophari videntur, philosphos esse buiuscemodi, ἀνεύ τε πραττειν, μέχρι τε λέγειν, factis procul, verbis renuis.

g) Lege SOLONIS cautum erat: Tutor pupillorum suorum matrem in uxorem ne ducito. Vid. Leges Atticas a SAM. PETITO collect. curaque P. WESSELINGII L. B. 1742. edit. p. 545.

## VIII

Quemadmodum autem legumlatores haud semper omnes ac singulas, quas in lege condenda ante oculos habuerunt, rationes proferre solent, ita haud dubitamus, huius etiam prohibitio-  
nis plures, easque satis idoneas, dari posse causas, quarum in  
praefenti duas tantum commemorabimus, scilicet 1) ne in con-  
stituenda dote, quam moderatur tutor, circumscribantur pupil-  
lae, cum quique sibi nimis amicus atque indulgens esse soleat,  
2) ne persuasione et auctoritate tutoris, vel nimia erga illum  
reuerentia, libera matrimonii electio turbetur aut impediatur.  
Conf. BROVWERVS de iur. connub. II. 20. 5. et PEREZ ad Tit. Cod.  
de interd. matrim. n. 3.

Ad prius quod attinet, in dote constituenda praecipuas par-  
tes fuisse tutoris, testatur PAPINIANVS in I. 69. §. 5. D. de iur.  
dot. Nuptiis ex voluntate patris puellae cum filio tutoris iure contra-  
stis, dos pro modo facultatum et dignitate natalium recte per tutorem  
constituti potest. Quantus autem dotis sit favor, quantumque  
reip. interfit, ne dotibus fraudentur mulieres, sciunt omnes, qui  
vel leuiter sacra Themidos attigerunt.

Taceo iam, interdum vel ab ipso tute, pupillam ducente  
dotemque grandem constituente, sat graues eam ob causam poe-  
nas dandas esse. PLAVTVS in Afinar. I. 1.

*Argentum accepi, dote imperium vendidi, h)*

nec

b) Quemadmodum inter principes interdum matrimonia ex ratione status  
ineuntur, ita haud raro priuati diuitiarum cumulandarum causa nuptias  
contrahunt. Exemplum matrimonii ex ratione status iam habet VO-  
PISCVS in Bonof: Vxor Bonosi (Hunila) fuisse dicitur femina singu-  
laris exempli, et familiae nobilis genitris Gorbiac, quam illi Aurelianus  
vixere idcirco dederat, ut per eam a Gorbis cuncta cognosceret. Erat  
enim illa virgo regalis.

nec non DION. CATO *Dift. de mor. ad fil. L. III. n. 13.*

*Vxorem fuge ne ducas sub nomine dotis,  
Ne retinere velis, si cooperit esse molesta,*

itemque CICERO *Parad. V. 2.* *An ille mihi liber, cui mulier imperat,  
cui leges imponit, praescribit, iubet, vetat, quod videtur? qui nihil  
imperanti negare potest, nihil recusare audei? Postea? dandum est.  
Vocat? veniendum. Eiicit? abeundum. Minatur? extimescendum.  
Ego vero istum non modo seruum, sed nequissimum seruum, etiam si in  
amplicissima familia natus sit, appellandum puto.*

Quantum ad posteriorem, quam dedimus, rationem, quid  
quaeso facilius, quam auctoritate et persuasione tutoris reueren-  
tiaque pupillae matrimonii impediti libertatem, quae sola efficie-  
re potest, vt locum inueniat illud HORATII *Carm. I. 13.*

*Felices ter et amplius*

*Quos irrupta tener copula, nec malis*

*Diuulsus querimoniis*

*Supremo citius solueat amor die. i)*

Facile fieri potest, vt tutor etiam grauis annis blanditus suis ali-  
quamdiu imponat pupillae iuuenclae.

*Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses,  
Et tamen aequoreas vissit amore deas.*

Quemadmodum plerique homines id, quod volunt, credunt, ita  
tutor etiam haud difficulter concipere potest spem, fore, vt cultae  
placeat virginis, suaque in persona exceptionem patiatur illud  
EV RIPIDIS:

'A&'

i) Conf. Author libri *tiber die Ebe* p. 32. itemque *Philosophisches und Iuri-  
stisches System v. d. Eben, Ansp. 1777.*

'Αλλ' ή τὸ γῆρας τὸν Κύπρον χαίρειν ἔται,  
Ἡ τ' Ἀφροδίτη τοῖς γέρεσιν ἀχθεται.

Sed mox

— — Veneris periuria venti  
Irrita per terras et frata summa ferunt.

Vanae spei atrae succedunt discordiae, serumque cauendi est tempus in mediis malis. Neque tu spores, inter eos, qui semel odio internecino se prosequi coeperunt, concordiam reducere. Nae hoc est pescari in aere, et venari in mare. Verissime IVSTINIA-NVS in Nov. 140. Permulti nos adierunt, qui matrimonium, quo inter se necti essent, mutuo odissent atque auerfarentur, et (id quod dolendum valde ac aliquo molestia moeroreque plenum est) propterea belligeratrum domi pugnatunque esse per criminationem exponerent, ideoque matrimonium solui peterent, tametsi causas, ob quas tuto id illis facere lex concederet, nullas afferre possent. Nos vero alias monendo, alias minis terendo, ut a mutuo inter se eoque citra causam suscepito odio desisterent, et ad concordiam proclinarent, animisque inter se pacatis essent, illorum in his desiderium festinationemque ad tempus suspensimus; sed nihil profecimus: siquidem eos, qui violento affectu odioque semel corripi fuerint, perquam est difficile reconciliare. Quidni igitur hic etiam praefest, intacta, vt in I. 5. C. in quib. caus. in int. ref. legimus, iura feruari, quam post vulneratam causam remedium querere? k)

Neque

k) Sane optandum esset, vt rariora iam essent matrimonia festinata, pluresque animo secum perpenderent veterem illam paroemiam: Späte ge-freus, späte bereut. Vere, qui matrimonium contraxere, coniuges audiunt a iugo, cui capita submisere. A bubus contingibus, ait HENR. CANNEGIERER in Lib. Sing. de mutata Romanor. nom. ratione, Cap. 16. p. 87. maritus et uxor dicuntur coniuges. Festus: iuges, eiusdem iugi pares, unde coniuges et seinges. — Haud aliter voces pares et comparates com-

Neque vero hic ille tantum intelligitur tutor, qui reapse administravit, sed etiam honorarius, pariter ac is, qui legitime datum in administratione cessavit. *L. 60. §. 2. et 3. D. de R. N.* Quin ne heredi quidem tutoris extraneo pupillam matrimonio sibi copulare fas est. *Sch. ait CALLISTRATVS in l. 64. §. 1. D. eod.* quo prohibentur tutores et filii eorum pupillas suas ducere, puto heredem quoque tutoris extraneum sententia adprehendi, cum ideo prohibuerit huiusmodi nuptias, ne pupillae in re familiaris circunscribantur ab his, qui rationes eis gestae tutelae reddere compelluntur.<sup>1)</sup>

Quod porro haud licet tutori, idem nec curatori permittitur, vt ex *l. 36. D. eod.* nec non ex *l. 7. D. ad L. Iul.* de adult. itemque ex *Tit. C. d. interd. matr. int. pup. et tut. f. cur. filiosque eor. manifestum est.* Ceterum iam *io. GVIL. MARCKART.* *Int. rec. iur. ciu. lect. Lib. II. c. 9.* monuit, hic nequaquam de tute sexus. (I. tutela seminarum perpetua) sed de tute (et curatore) tantum aetatis sermonem esse, et quidem 1) ob rationem prohibitionis, ne scilicet rationes administratae tutelae interuertantur, 2) quia nuptiae illae tantum intra *XXVI.* (aut iure novo, anno scilicet utri a *IVSTINIANO l. vlt. C. de temp. in int. refl.* in quadriennium continuum mutato, intra *XXIX.*) mulieris annum prohibitae erant.

Ad haec, et si Sch. tutoris tantum eiusque filii mentionem fecerat, haud minus tamen Sch. sententia nepos etiam comprehenditur. *l. 59. D. de R. N.* Quid? quod filiusfamilias, tutor

B 2 pupil-

*communes sans bulus bominibusque, unde glassae: par ζεῦγος, σύζυγη, ζύγη. Compar σύζυγος, comparē τύραννος.*

1) Festive nonnemo tutores, impuberum facultates seu dolo, seu culpa minuentes, haud *Vormünder*, sed *Verminder* appellare solebat. Vid. *NIC. HENELII Otiuum Wtariflau. cap. i.* vbi de *lubrico tutelae agitur.*

pupillae datus, hanc ne patri quidem suo, frattive, eiusdem patris potestati subiecto, obstante patriae potestatis vinculo, nuptum dare potest l. 67. §. 2. D. de R. N. l. 2. D. de tut. et rat. dift. l. 37. D. de adm. et per. tut. <sup>m)</sup>

Ad pupillam quod attinet, non illa tantum hic intelligitur, quae sub tutoris adhuc potestate est, sed et ea, quae sub illa aliquando fuit, nihilque interest, virgine sit, an mater, ex alio felicet matrimonio facta. L. 62. §. 2. D. de R. N. Prohibitis nuptiis (hic certe) prohibita etiam censentur sponsalia. *Quamvis verbis orationis cautum sit, inquit PAVLVS in l. 60. §. 5. D. d. R. N.* ne vxorem tutor pupillam suam ducat, tamen intelligendum est, ne desponteri quidem posse <sup>n)</sup>: nam cum qua nuptiae contrahi non possunt, haec plerunque ne quidem desponteri potest: nam quae duci potest, iure despontetur. Rechte ait plerunque, propterea quod interdum permissa sunt sponsalia, et si prohibitas sint nuptiae, quo pertinet, quod PAVLVS scribit in l. 38. D. de R. N. Si quis officium in aliqua prouincia administrat, inde oriundam vel ibi domicilium habentem vxorem ducere non potest, quamvis sponfare non prohibetur. Idem obtinet in sponsalibus intra tempus luctus initis, ut ostendimus *Actuasfar. Lib. I. c. 10.*

Nec ad rem facit, et si forte mater nuptiis filiae cum tutore contrahendis conseatiat. *Quamquam, verba sunt l. 62. pr. D. de R. N.*

<sup>m)</sup> In eandem sententiam HARMENOPVVS Lib. IV. Tr. 6. §. 31. Οὔτε ὁ πατέρος τὴν ἐπιτέρπει, οὔτε ὁ συντερέσσος αὐτῷ ἀδελφός δύναται γαμεῖν τὴν ὄρφανην, εἰδὲ ὁ οὐρανὸς ὁ ἔκγονος αὐτῷ. Neque parer tutoris, neque, qui cum tutorie in eiusdem potestate est, frater ducere potest pupillam, vt nec filius aut nepos tutoris, in Sappi. Thes. Meerm. quod Hagae Com. 1780. prodiit, n. I.

<sup>n)</sup> MODESTINVS in l. 15. D. de Sponsal. Tutor factam pupillam suam nec ipse uxorem ducere, nec filio suo in matrimonio adiungere potest. Scias raman, quod de nuptiis tractamus, et ad sponsalia pertinere.

**R. N.** in arbitrio matris pater esse voluerit, cui nuptum filia communis collocaretur, frustra tamen ab ea tutor datus eligetur: neque enim intelligitur pater de persona tutoris cogitasse: cum ideo maxime matrem praetulit, ne filiae nuptias tutori comitteret.

Nec silentio hic praetereundum, quod aiunt *Imp.* in l. 2. **C.** de interd. matr. *S*ci*e*i autoritatem, quo inter pupillam et tutoris filium connubium saluberrime sublatum est, circumueniri rusticitatis et imperitiae velamentis non oportet.

Ceterum ex mente huius *S*ci*e*i hoc etiam introductum est, ne maritus vxoris suae curator fieret, adeo, ut sciens prudens datus notaretur infamia. *l. 14. D. de cur. fur. l. 4. l. 17. C. de exc. tut.* <sup>o)</sup> qua de re diximus *Interpr. et Obj. cap. 3.*

Ecquid autem fiet, si quis spreta *S*ci*e*i prohibitione aut ipse pupillam suam duxerit, aut eam filio suo nepotue in matrimonium collocauerit? Responsum pro me det *PAVLVS* in *l. 66. pr. D. de R. N.* Non est matrimonium, si tutor vel curator pupillam suam intra viceimum et sextum annum, non desponsam a patre, nec testamento destinatam, ducat uxorem, vel eam filio suo iungat; quo factu eterque infamatur et pro dignitate pupillae extra ordinem coactetur. Nec interest, filius sui iuris, an in patris potestate sit, nec **NON MARCIANVS** in *l. 7. D. ad L. Iul. de adult.* Qui pupillam suam duxit uxorem contra Senatusconsultum, nec matrimonium est hoc, et potest adulterii accusari, qui tutor et curator fuit, et intra viceimum sextum annum duxit uxorem, non a patre desponsam, vel destinatam, vel testamento denominatam. Libertum autem eundemque tutorum pupillae ideò, quod in matrimonium ipsi eiusue filio collocata fuerat, Senatus relegandum censuit. *L. 64. D. de R. N.* Stupri denique pupillae a tudore oblati poenam memorat *l. vn. C. si quis*

B 3

eam

<sup>o)</sup> **ALEXANDER** in *l. 2. C. qui dar. rut, vel cur. poss. Maritus, eis rebus  
vxoris suae deber affectionem, tamen curas ei creari non potest.*

eam, cui tut. fuer. corr. Si tutor pupillam quondam suam, violata  
caſtitate, ſuprauerit, deportationi ſubiugetur, atque uniuersae eius  
facultates ſic iuribus vindicentur, quamuis eam poenam debuerit ſuſi-  
nere, quam raptor leges imponunt.

Non defunt tamen species nonnullae, in quibus ſed pro-  
hibito cefſat, quarum quidem praecipuas faltem hic commemo-  
rabimus. Tutor, inquit, PAVLVS in l. 36. D. de R. N. vel curator  
adulatam uxorem ducere non potest, niſi a patre deſponſa, deſtinatae,  
teſtamentoue nominata conditione nuptiis, ſecuta fuerit, que verba  
poſtrema, nonnihil obſcura, mirum quantum exercuerint inter-  
pretes, adeo ut nullius fere mancipii frons aequa, ac haec lex,  
compuncta sit p). Non ſingulas hic referam conieſturas, qua-  
rum plerasque ſi ſomnia appellauerim, ſane mitiſſime dixerim.  
Legi eae poſſiunt apud I. o. WESTENBERGIVM in D. Marco p. 397.  
GEO. ARNAUDIVM Var. Conieſt. Lib. II. c. 17. et IO. GVIL. MAR-  
CKARTVM Interpr. rec. iur. ciu. leſt. Lib. II. c. 9. Omniibus autem  
hariolationibus facile carebimus, ſi verba ita, vt ſcripta ſunt, le-  
gamus, et non niſi τὸ eam mente ſubintelligamus ita: Niſi (pu-  
pilla ſcilicet aut adulta) a patre deſponſa, deſtinatae, teſtamentoue  
nominata conditione nuptiis, eam, ſcilicet conditionem q), ſecuta  
fuerit. Ita ſane omnia, quam quea optime, cohaerent, veram-  
que hanc leſtionem eſſe Graeci etiam coniſtruant, a quibus haec  
ἐγένετο Basili. Tom. IV. L. 28. T. 4. p. 243. ita exprimitur: πλὴν  
εἰ μὴ ἀραι τάντην ἀντῶ περιὼν ἐμνήσευτεν ὁ πατης, η καὶ ἀλλως  
αφώγετεν, η κατὰ τὴν οἰκεῖαν διαθήκην ἐμνημόνευτεν, ὥσε τοχεύ-  
γαμη.

p) HALOANDER in l. 36. D. de R. N. legit: deſtinatae teſtamento; no-  
minařia conditione nuptiis. In editione Pandectar. Gebauerian. p. 395.  
praeter leſtionem HALOANDRI nihil adnotatum eſt.

q) Conditionem apud veteres paſſim pro coniugio ponit, iam monuit OB.  
GIFANIUS in Ohſ. lingui. lat. pag. 81.

γαμήλησι τάντην τῷ Πέτρῳ, καὶ συνέβη τὸν Πέτρον ἐπίτρεπτον,  
ἢ κοντάτωρα γενέσθαι τῆς κόρης, ὃ των τὴν βενητοῦ Φυλάκτουσα  
τοὺς πατέρες συνέφεντες γάμους η κόρη, nisi pater superflue eam ipse  
despondit, aut etiam aliter destinavit, testamentoue nominauit, puta,  
ut Petro nuberet, et contigerit, ut Petrus tutor fieret aut curator  
puellae, cui puella, voluntatem patris secuta, nupst<sup>1)</sup>). Ceterum  
in PAULI sententiam rescripserunt etiam Inpp. in l. 6. C. de interd.  
matr. Si patris tui pupillam nondum redditia tutelae ratione, vel post  
redditam nondum exadū quinto et vicefimo anno, nec non utili anno,  
uxorem duxisti, nec matrimonium cum ea habuissē, nec filium ex huius-  
modi coniunctione procreasse videri potes. Sane, si hoc pater puellae,  
cum decederet, postulauit, et nuptiae rite contrahae, et filius videtur  
iure suscepitus.

Porro Sæti prohibitio cessat rationibus a tutore aut curatore  
redditis, spatioque, intra quod restitutio in integrum peti potest,  
effluxo, quod quale sit, supra iam diximus. Conf. l. 62. §. 2. l. 66.  
pr. D. de R. N. l. 6. C. de interd. matr. l. vlt. C. de temp. in int.  
refl. <sup>2)</sup>)

Deinde hoc Sætum nec ad eos, qui pro tuteore aut curatore  
res pupillæ administrarunt, nec ad fiduciarios et nominatores  
tutorum, magistratusque, qui tutores dederunt, pertinet. l. x.  
§. 6. l. 2. D. de eo, qui pro tut. l. 60. §. 1. l. 67. §. 5. D. de R. N.

Nec hic silendum, quod TRYPHONINVS ait in l. 67. §. 1. D.  
eod. De uno dubitari potest, si auus tutelam gesit neptis ex filio eman-  
cipato

<sup>1)</sup> Atque ita nec opus est conjectura IO. CANNEGIETERI ad Coll. Leg.  
Mof. et Rom. p. 226.

<sup>2)</sup> Anno utili ad restitutionem in integrum petendam ap. Rom. quondam  
praefituto similis quodammodo apud veteres Germanos erat das  
Schreibabr. Vid. c. v. GREVELER de anno clamoris, Duisib. 1776. et o.  
L. DE EICHMANN v. d. Unterschied zwischen d. Schreibabr u. d. Resti-  
tutionen d. Römer, in d. Duisburg. Gel. Anz.

## XVI

*tipato natae, an nepoti ex altero filio eam collocare possit, siue emancipato, siue manenti in potestate, quia pars affectionis causa suspicionem fraudis amouet? Sed et si Senatusconsultum stricto iure contra omnes tutores nititur, attamen summae affectionis auitae intuitu huiusmodi nuptiae concedenda sunt.*

Nec mater pupillae cum tutele filiae suae vel filio tutoris nuptias contrahere prohibetur. *I. 2. C. de interd. matr.*

Pariter tutor pupillo suo curatorkue adulto filiam suam neptem, cessante hic suspicionis, quae in pupilla et adulta locum habet, ratione, in matrimonium collocare potest. *I. 64. §. 2. D. de R. N. I. 5. C. de interd. matr.*

Quemadmodum porro is, qui legem fert, eiusdem etiam gratiam facere potest, ita nemo facile dubitat, quin Princeps nuptias tutorem inter et pupillam iure permittere queat, adeoque is, qui eiusmodi beneficio impetrato aut ipse pupillam suam uxorem ducit, aut eam filio nepotius suo in matrimonium collocat, impune hoc faciat et ab omni poena liber sit. *Si tutor, inquit Imp. in I. 7. C. de interd. matr. vel curator pupillam vel adultam quondam suam sibi, vel filio suo, nullo diuino impetrato beneficio, in matrimonio collocauerit, manet infamia contra eum, veluti confessum de tutela: quia huiusmodi coniunctione fraudem administrationis tegere laborauit: et dos data per conditionem repeti potest.*

Etsi denique iure romano maritus uxoris suae curator fieri nequit, sed sciens prudensque datus infamia notatur, nulla tamen poena tenetur, qui absens et ignorans ei, quam in matrimonio habet, curator datus est. *Amplissimi ordinis consulto, verba sunt I. 4. C. de exc. tut. qui pupillam suam uxorem ducit, nuptias contrahere non intelligitur, et tamen infamia constituitur. Sed si tu Demetriae, cum eam in matrimonio haberet, absens et ignorans curator constitutus es, potes esse securus, dum tamen alius substituatur.*

Non

*Non enim debet ignorantiae maritorum amplissimi ordinis consulto  
fraus quaeri<sup>t</sup>).*

Quodsi iam de vsu huius iuris hodierno quaeramus, haud quidem me fugit, nonnullos in ea esse opinione, vt illius prohibitionis nullum hodie usum superesse existimant<sup>v</sup>). Ipe l. o. WESTENBERG l. c. p. 304. ait, hoc sc̄um eiusque prohibitionem ideo hodie plerisque in regionibus cessare, quia 1) tanta nunc sollemnitate celebrentur nuptiae, vt imponendi pupillae vix locus tutori relinquatur; 2) a simplicitate morum nostrorum alienum sit, prohibere nuptias, que ius sanguinis et naturalem pudorem non laedunt, 3) ius diuinum matrimonium illud nusquam prohibeat, 4) ob introductam bonorum communionem ratio sc̄eti cesset, 5) maritus moribus hodiernis legitimus vxoris sit curator, eiusque bona administret.

Neque vero haec ita comparata sunt, vt ideo vadimonium nobis deferendum sit. Quod enim ad primam WESTENBERGII rationem attinet, qui quaeſo nuptiarum sollemnitas (quae certe multis locis admodum exigua est) impeditat, ne a tute fraus pupillae fieri possit? Quid? quod, quo maior sollemnitas est, eo facilius inter eius apparatus et strepitus id, quod salus pupillae postulat, obliuioni datur planeque omittitur. Aureos plerunque montes sponsi promittunt, mox autem, sponsa domum ducta, haud raro

— Illuc

t) MODESTINVS in L. l. §. 5. D. de excus. Non potest curator esse sponsae sponsus, ut Senatus dicit; creatus autem talis absoluatur, nec non IMP. in l. 17. C. de exc. tur. Licer Orationis sub D. Marco habitate verba deficiant, is ramen, qui post contractas nuptias nurui suac curator datur, excusare se debet, ne manifestam sententiam eius offendat et labem pudoris contrahat.

v) Conf. Beiträge z. d. Juriflisch. Literatur in d. Preußischen Staaten, I. 2. 4. et c. H. BREVNING. diss. de tute sponſo pupillae, Lips. 1769.

C

XVIII

— *Illic habitant pallorque tremorque,  
Et ieuna famae.* — —

Vae nouae nuptiae, si hiscere iam audeat, rationesque administratæ tutelæ a marito postulet. Quantocytus veterem ei occinet formulam:

*Collige sarcinulas — — — et exi  
Iam grauis es nobis, et saepè emmangeris, exi  
Ocus et propera; siccò venit altera naso,*

de dote autem ceterisque vxoris bonis ne verbulum quidem adiicit, sed illorum possessione se beatum putabit, misellamque vxorem bonis spoliata domo exiget. Nae enim paucissimi ita animati sunt, ac olim erat d. MARCVS Imp. de quo CAPITOLINVS in eius vita cap. 19. Faustinam constat conditiones sibi et nauticas et gladiatorias elegisse, de qua cum diceretur Antonino Marco, ut repudiaret, si non occideret, dixisse fertur: Si vxorem dimittimus, reddamus et dotem. Plerique contra HENRICVM VIII. Angliae quandam regem, imitantur, qui, postquam in pactis dotalibus cum CATHARINA ARRAGONICA initis tria millia ouium dotis nomine sibi stipulatus erat, eaque reple acceperat, deinde cum CATHARINA quidem diuortium fecisse, quae autem retinuisse memoratur.<sup>x)</sup>

Secunda aequa ac tertia WESTENBERGII ratio itidem nullius plane sunt ponderis. Cur enim quaequo Principi haud fas sit, nuptias

x) Vid. Abbatis COYERIS Neue Bemerkungen über England, pag. 138. Die Natur batte England die schöne Wölle nicht gegeben, die dasselbe sehr zu Tage bereicher. Heinrich der VIII. bedung sich in seinem Ehecontract mit Catharinen von Arragonien eine Sendung von dreisund spanischen Schafen; er verlor seine Gemahlin, aber die Schafe behielt er. Diese kostbare Race wird noch jetzt durch fleissige Wartung und indem man sie alle Laubszeiten hindurch auf dem Felde in Hürden läßt, erhalten.

nuptias aut reip. aut ipsis coniugibus noxias, eti ceterum nec ius sanguinis laudent, nec in sacris litteris damnentur, prohibere?)

Duae tandem postremae a WESTENBERGIO adductae rationes eius opinionem non modo nihil iuvant, sed eandem potius labefactant planeque subvertunt. Ipsa enim bonorum inter coniuges communio, (quae tamen nequaquam omnibus locis obtinet,<sup>z)</sup>) curaque illa maritalis, quam quae maxime necessarium faciunt, ut, quanta bonorum, quae vxor initio matrimonii habuit, substantia sit, eruat, rationesque gestae tutelae haud interuertantur, ne inarito forte bonis lapsio vxoris facultates cum bonis mariti confundantur, illaque una cum liberis nulla sua culpa ad incitas redigatur. Eat igitur (quem ceterum magni suo merito aestimo) WESTENBERGIVS, meliusque ea in re, haud parui, sed maximi sane momenti, rationes subducere diseat.

Quae cum ita sint, magnopere laetor, in lege Saxonica, quae de tutelis praecepit, nouissima<sup>a)</sup> prohibitionem illam nuptiarum tutorem inter et pupillam nequaquam insuper habitam, sed ea de re ita fancitum esse: *Hingegen ist keinem Vormunde in der Regel nachgelassen, während der Vormundschaft sich selbst, oder seine Kinder mit seinen Pflegbefohlenen zu verloben, sondern es sind dergleichen Ehegebönsse, wenn sie nicht mit ausdrücklicher Genehmigung des Richters, welcher den Vormund bestätigt hat, geschehen, schlechterdings ungültig, und der Vormund ist deswegen willkürlich zu bestrafen.*

Cum dicitur oder seine Kinder mit seinen Pflegbefohlenen zu verloben, nuptiae etiam inter pupillum et tutoris filiam regulariter

C. 2 inter-

y) Vid. Erörterung der Frage: Ob ein Landesterr Ehebindernisse setzen könnte? F u. L. 1777.

z) Cont. Die Gemeinschaft der Güter unter d. Eheleuten in Deutschland, in d. neußt. Münzfälgk. (Nördl. 1776.) p. 43.

a) Coht. Ordinar. nupilar. Sax. Elect. d. a. 1782. p. 58.

interdictae esse videntur, quod iure romano aliter se habere, supra vidimus. Sed profecto nec haec prohibito sua ratione destituitur. Quid enim facilius tutori, quam filiam suam, aut pauperculam aut meretriculam, suo obtrudere pupillo, qui verum rebus, aequo ac personis, pretium statuere nondum didicit, b) mox autem pro dolor! carbones, ut aiunt, pro thesauro reperit? Ipse noui homines, qui hac ratione turpiter decepti ingentem illum infelicium maritorum numerum auxere, tandemque, etsi nimis fero, nubem pro Iunone se amplexos esse intellexerunt.

IAM INDICENDA A NOBIS SVNT SOLLEMNIA  
INAUGURALIA  
CANDIDATI DOCTISSIMI,  
CAROLI FRIDERICI MEYERI

HOLACHEO — GLEICHENSIS

qui ipse de vita sua laudabiliter adhuc acta his verbis exposuit:

Ego, Carolus Fridericus Meyerus, natus suu Wechmarii in Comitatu Gleichenſi, prid. Calend. Iunii MDCCLVII, patre Ioanne Carolo Meyeru, pastore atque Sereniss. Prince, de Hohenlohe Consilio ecclæſiaſico, anno huius ſeculi LXXX. acerbo fato mihi ademto, rauis cineres iusta veneror pietate, matre autem e gente Schanerthianar, quae adhuc ſuperflue eſt, vtque quam diutissime fit, Deum ſupplex oro. Tradiderunt me parentes a primis fere incububilis doctis filiis.

b) Egregie MACROBIUS Saturn. Lib. I. cap. 11. Quemadmodum flultus eſt, qui eminus equum non ipsum infipit, ſed ſtratum eius ac frenos, ſic pidiſſimū eſt, qui hominem aut ex ueste, aut ex conditione, quae modo uestis nobis circumdata eſt, aſſimandū putat.

delibusque praceptoribus domesticis, qui priuata institutione prima litterarum atque bonorum artium rudimenta me docuerunt. Deinde publicam, quae Ordruſſi floret, Scholam ingressus, praesertim ab Eichhornio, Rectore, qui nunc Professoris ordinarii munere in inclita Academia Ienensi fungitur, ad intimorem cum Musis familiaritatem ducus sum. Sic præparatus anno MDCCCLXXV. Ienam adii, ibique ab Ex-Pro-Rectori Magnifico, D. DANOVIO, in numerum ciuium academicorum receptus per duos annos in artibus liberalibus scientiusque philosophicis WIDEBVRGI, WALCHII et VLRICI, in studiis iuridicis autem HELFELDII, WALCHII, REICHARDI, SCHEIDEMANTELII et EICHMANNII scholas frequentau. Postea ad Academiam, quae Lipsiae floret, accessi, ubi anno MDCCCLXXVII. in ciuium academicorum numerum a Rectori Magnifico, D. FRANKIO, relato per biennium virorum celeberrimorum, CLODII, WENKII, BREVNINGII, RAVII, WOLLI, ZOLLERI, SCHOTTI, SEGERI, HOMMELII aliorumque præelectionibus interesse mihi contigit. Studiis academicis rite absolutis sub praefidio S. R. ZOLLERI disputationem ex iure criminali, a me conscriptam, de effectu confessionis corpore delicti ad-huc incerto, die 1. Maii MDCCCLXXIX. publice defendi. Postea examine pro praxi apud illustrem Ictorū Lips. Ordinem superato ab Ampl. Senatu Lips. Notarii publ. Caesarei titulo ornatus, anno MDCCCLXXIX. autem a supremo Regimine Dresdeni in munere Notarii confirmatus et in numerum adiutorum relatus causa in foro orandi operam dedi.

Nunc ad altiora progressurus a Collegio nostro, ut summi in iure honores in ipsum conferantur, petuit. Cui desiderio, postquam in examine, quod vocant, rigoroso Collegii expectationi omni ex parte satisfecit, cum deesse haud potuerimus, ut publice etiam de eius profectibus constet, proximo die Mercurii in auditorio Ictorum hora a meridie II. I. 3. C. comm. utriusque iu-

XXII

dit. interpretabitur, a. d. XXVI. huius mensis autem hora IX.  
eodem loco dissertationem inauguralem *de moderatione inculpatae  
tutelae ad Or. Civ. Milonianam me praeside publice defendet, quo  
facto Vir. Illustr. Excellentiss. atque Consultiss. Dom. AVG. FRED.  
SCHOTTVS, Tit. de V. S. et R. I. P. P. O. Supremae in Provincia  
Curiae et Ordinis 18or. Lips. Agellor, fautor atque collega ho-  
noratissimus, cui ex eiusdem Ordinis decreto promotoris munus  
delegau, summos in iure honores cum omnibus priuilegiis ac  
juribus huic dignitati adnexis, sola spe ad sessionem in Collegio  
nostro adspirandi excepta, ipsi tribuet atque concedet.*


Quam sollemnitatem ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS,  
PRINCIPES CELSISSIMI, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQUE  
REIPVBLCAE PROCERES GRAVISSIMI, CIVES denique GENEROSIS-  
SIMI NOBILISSIMIQUE praefentia sua honorifica splendidiorem  
reddere velint, enixissime rogamus. Sc. Lips. a. d. XXI. Iua.  
MDCCCLXXXIII.



ULB Halle

002 802 503

3



56.

vol 18 -





16

1783, 16. 1918

PROCANCELLARIUS  
IOS. LVD. ERN. PÖTTMANNVS  
I. V. D. INST. PROFESSOR ORDINARIUS ET COLLEG.  
ICTOR. ASSESSOR

SOLLEMNIA IN AVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

CAROLI FRIDERICI MEYERI

HOLACHEO — GLEICHENSIS

A. D. XXVI. IVNII MDCCCLXXXIII

PVBICE CELEBRANDA

INDICIT